

05

A

1936





36  
Q. S. N. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA;  
*exhibens*

QVÆSTIONUM PHYSICARUM  
**Fasciculum.**

*Quam*  
DUCE & DIRECTORE DEO,  
*In*

celeberrimâ Academiâ Wittebergenſi;

SUB PATROCINIO

*Praclarissimi, Amplissimi atq; Excellentissimi*

**DN. JOHANNIS Sperlings /**

Nat. Scientiæ Prof. P. fidelissimi, famigeratis-  
simi &c. Præceptoris, Fautoris ac Promo-  
toris sui, perpetuâ animi obser-  
vantiâ colendi.

*Publicæ Philoſophantium διασυνέψεως subjicit*

**JOHANNES Fromme /**

Brandenburgensis Marchicus.

*Ad diem 31. Decembr. Anni c1o 1oc LVII.*

*in Ανεγαλνείω Majori,*

Horis Matutinis.

---

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typog. JOHANNIS HAKEN.

35

DISSERTATIO  
DE  
Falsiculis

Dr. phil. Dissertation  
celebrata in Academia Wittenbergensi



6691 A 50

JOHANNES

WITTENBERG

32



Supremum Numen coeptis adspiret ab  
alto !!

Πεγαύλιον.!

**A**Utor libelli, *περὶ κόσμου* aureum scri-  
pturiens Libellum, primum ejusdem Ca-  
put, verbis auspicatorum sequentibus: Mi-  
hi quidem sæpè divina quædam res, admirati-  
oneque digna visa est Philosophia: præcipuè  
verò eâ in parte, quâ sola ipsa se sublimè tola-  
rens, ad contemplandas rerum naturas, magno  
illic studio contendit, existentē in eis verita-  
tem, pernoscere. Hanc ipsam occipiendi for-  
mulam, in præsentī Physicorum Theorema-  
tum præloquio, nostram facientes, non ineptè  
dictum iri arbitramur, si & nobis Naturalem  
Philosophiam, Divinam quandam rem, admi-  
rationeque haud indignam, visam esse sæpè, di-  
xerimus. Cùm n. Creator gloriosissimus, non  
frustrà magnum Naturæ Librum, tot & tam  
egregiis, operum admirandorum picturis,  
exornatum pulcherrimè, volvendum pro-  
posuerit nobis, & cùm Natura ipsa, spe-  
ciosam mundi machinam, sapientissimè è ni-  
hilo formatam & conservatam hæcenus, non

A 2

eo

comodo, quô bruta, (nos, qui ratione ab iis  
distingvimur,) intueri jubeat; non malè suam  
collocare operam videntur illi, qui officii sui,  
à Deo & Naturâ sibi demandati, memores a-  
gunt agenda, & quàm sibi non fordeat naturæ  
cognitio, assiduo declarant scrutinio. Igitur,  
cùm & nos cultum ipsi nostrum destinaverim,  
PROBLEMA quædam PHYSICA, ex Synopsi  
Præclarissimi atque Excellentissimi Sperlingii,  
Præceptoris ac Promotoris mei ætatè colen-  
di, decerpta, ingenii exercendi causâ, eruditè  
Philosophantium examini subicere, constitu-  
imus. Sit igitur

PROBLEMA I.

Quænam Physicæ sint causæ?

**E**fficiens causa, vel est prima, vel secunda. Illa Deus; qui pri-  
mò fecit mundum, & adhuc hodiè ad actiones concurrat  
naturales: hæc, homines sunt, sc. partim docentes, quatenus  
Habitum inferunt; partim discentes, quatenus eum acqui-  
runt. *Finis remotus*, gloria Dei est. Triplici aliàs viâ Deum  
cognoscere possumus. 1. *Negationis*, ubi Plinius erravit, quâ-  
do dixit: Deum non omnia posse, quippe non possit ægrota-  
re, mori, pati, peccare, mentiri, &c: nam hæ non sunt po-  
tentia Dei, siquidem potentia non debet ex potentia passivâ,  
sed activâ, æstimari. 2. *Eminentia*. Sic Plinius dicit: Deus est to-  
tus visus, totus auditus, gustus, tactus, i. e. ipsa perfectio, nos  
tantum partes illius habemus. 3. *Via est Causalitatis*, per quâ ad Deum  
ascendimus, quando sc: ex cognitione rerum naturalium, Deum  
etiam agnoscimus. Hæ n. enarrant Dei potentiam, sapiëntiam, pro-  
videntiã. Atq; hoc pacto facit cognitio Physices, ad Dei gloriã.

*Finis*

*Finis proximus* est veritas, quæ communis omnium Discipli-  
narum Theoreticarum finis, in quo acquiescunt. Hoc l. a.  
est specialis, quatenus sc. in C. N. delitescit. Sic veritas, in  
Spiritus contenta, finis est Pneumaticæ. Practica verò, non  
acquiescit in veritate & cognitione, sed actionem superaddit.  
*Materia & Forma* solis C. N. competunt, E. nec Deus,  
nec Angeli, nec Anima rationalis, materiam aut for-  
mam habent. Nec Accidentia quoque, cum materialia, tum  
immaterialia. Subjectum quidem habent, materiam ex quâ,  
non item. Materia n. est Substantia; si jam haberent materiã,  
(sc: ex quâ,) non essent Accid. sed Substantiæ. Imateria-  
lia Accid. st. v. g. Lumen, Physica, Logica, omnesque Habi-  
tus mentis nostræ. *Objic.* Intellectum esse Materiam Phy-  
sices, & cæterorum Habituum. Sed Resp. concedendo quidem,  
cum distinctione tamen, sc. est Materia, *in quâ*, seu, Subjectũ,  
non v. *ex quâ*, de quâ nobis sermo est. Deindè nec formam  
Physica habet, quia illa Substantia est.

## II. Quænam sit norma, ad quam res Phy- sicæ exigendæ?

Inter cætera genuinæ normæ requisita, duo sunt facile  
prima, ut scil. sit homogenea & infallibilis. Quæ itaq; nor-  
mato homogenea non est, quæque dubia, incerta, & fallibi-  
lis, norma non est: Ad hæc examinetur, quicquid vicem Nor-  
mæ, cognitionis Physicæ, subire debet. Estne talis Sacrosancta  
Scriptura, aut homo etiam doctissimus? minimè gentium:  
Illa quidem infallibilis est, & testimonium ejus de opere Na-  
turæ certo est certius, ac indubiæ veritatis; sed tamen homo-  
genea non est. Non enim ideò divinitus inspirata est, ut ad-  
miranda Dei opera, exactis demonstrationibus, nobis expla-  
net; sed ut de verâ Dei cognitione & salute nos erudiat: Ho-  
mo v. cum scriptis & placitis suis cum ab errore immunis esse  
haud possit, quæ norma infallibilis esset? Interim naturæ scru-  
tator, quicquid testimonii de rebus naturalibus, in sacris sa-  
crarũ literarũ monumentis invenit, & quicquid verò in eru-  
ditæ antiquitatis scriptis legit, exosculatur, & obviis amplecti-

tur ulnis, verum iis tacentibus, tacet aut quiescit ille minimè,  
 sed naturæ librum, manu volvit & revolvit assiduâ, & ut ve-  
 natui aucupiove intenti, commodo in loco prædas agunt,  
 quibus mensam instructiorē reddant; ita & ille in naturæ luo  
 & latifundio, quibus mentem instruat, gnavitèr aucupatur:  
 Sola Natura, norma ipsi adæquata est; Cujus rei in hâc funda-  
 mentum invenit, eam assumit: quam hic non comprobata  
 deprehendit, eam nec venditat pro re Physicâ, nec tamen sta-  
 tim falsam eam esse judicat, quippe vera esse potest in aliâ  
 Disciplinâ. E. g. Materiæ primæ Aristotelicæ (pro quâ jam à  
 multis pugnatur acrius, quàm olim à Græcis pro Helenâ,)  
 fundamentum quærit Physicus in naturâ, si invenit, adstruit  
 eam dari, secus, negat: Non acquiescit Hypothesibus, quas  
 in constituto naturæ ordine nunquàm verificari novit, quali-  
 bus præsuppositis, alii eam propugnant; naturam ipsam cõ-  
 sultat, rerumque naturalium generationem: nec tamen negat  
 omnem materiam primam; quippe quam sana ratio concipit  
 ut notionem universalem, abstractam ab omni materie singu-  
 larium, quæ aliûs cujusdam fori. Ita de quanti divisione cum  
 quæritur, an sc: id in infinitum possit dividi? Quod in naturâ  
 deprehendit, respondet Physicus; nimirum realem fieri posse  
 divisionem in partes Physicas pernegat: mentalem verò in  
 partes proportionales committit Mathematico, & suum facit  
 illud magni Philippi: Ridiculum est, Physicè Mathematica di-  
 cta intelligere,

### III. An Physicus, allegans Scripturam S. faciat

*μετάβασις εἰς ἄλλο γένος?*

Per γένος h. l. non intelligitur genus Logicum, sed Physi-  
 cum, quod nihil aliud, quàm materia, h. e. non licet transi-  
 re de materiâ in materiam, de materiâ Physicâ in Theologi-  
 cam. v. g. Materia Physica est: Generatio est mutatio à non es-  
 se ad esse. Subsumunt; Generatio competit Filio Dei. E. Resp. fi-  
 eri hic *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, sc: ex Materiâ Physicâ, in Hy-  
 perphysicâ, s. Theologicâ. It. N. Virgo parit. Maria: E. Descri-  
 bitur verò hæc *μετάβασις*, quod sit transitus ex Disciplinâ in  
 Disciplinam, quia diversæ Disciplinæ, diversum habent consi-  
 deran-



derandi modum: Physicus autem allegans Script. S. semper manet in suo genere, materiâ, objecto. Sine Exempla: Sol oritur cum calore, sc. naturaliter. Granum tritici debet mori, i. e. corrumpi, macerari & in radicem ac culmen transmutari. Patrus non mutat colores. Sic animalia naturaliter servant colorem & figuram, licet interdum varietas detur, quæ tamen per naturam est concessa. Conferatur Excell. Dn. Præsidis Synopsis Phys. p. m. 5.

#### IV. An formæ educantur?

Dicunt, formas esse potentiâ materiæ educi. Hanc potentiâ, dicit Toletus, esse, vel Universalem, vel Particularem: Illâ esse substantiam: hanc Accidens, seu, Qualitatem. Jam utrumque negant, nec ex Substantiâ, neq; ex Accidente materiæ formas educi, sed hoc tantum se velle reponunt, quod forma non fiat, non operetur, non sit & existat sine materiâ, sed ab eâ in fieri, esse & operari dependeat. Si quærimus, undè verò sit hæc forma? Resp. iterum: ex potentiâ materiæ, i. e. quod non fiat sine materiâ. Si quærimus, quomodo? utrum idemque semper respondent, nec nōrunt, quid per istam potentiâ intellectum tandem velint. Falsum itaq; est, formas esse potentiâ materiæ educi, cum nec ex Substantiâ ejusdem, neq; ex Accidente educantur. Sic forma canis, non fit ex Substantiâ seminis; ex hac n. fit totum Corpus, ossa, pedes, caput, &c. neq; etiam ex ejus Accidentibus, (Seminis puta,) v. g. caliditate &c. Pessimum quoq; foret, falsam de formarum educatione, esse potentiâ materiæ sententiam, animæ humanæ applicare. Prolixiora de his vide in Institutionibus Phys. Clarissimi nostri Sperlingii, à p. 88. usq; ad 113.

#### V. An formæ creentur?

Deus septimo die quievit ab omni creatione, expressè dicitur Genes. II. 2, 3. Hinc jam non amplius creat animam hominis, equi, leonis, &c. non incurrit jam influxu creativo, sed conservativo, cum Naturâ sc. quæ tanquam Causa proxima est. In omni opere ordinario, Deum cum Naturâ debemus conjungere. Natura est proxima & particularis

cau-

causa. Deus remota & Universalis. Sic Deus & Natura agunt, quando anima humana producitur. Qualis effectus benedictionis Divinae est in brutis, talis, quid obstat, quò minus etiam sit in hominibus? Sed in brutis effectus is est, quod possint Animam cum Corpore producere. E. Terminus generationis proximus, est anima: remotus, s. ultimus, homo.

## VI. An formæ in interitu corporum pereant, & quomodo?

Pereunt utiq; exceptâ animâ humanâ, quæ, quia Spiritus est, interire non potest. Cæteræ v. non sunt Spiritus, quia à materiâ in existere & operari dependent. (Materiales dicuntur formæ brutorum, non quidem ratione essentia, sed existentia, quod sine materiâ, existere nequeant.) Anima enim equi, canis &c. quicquid facit, per sua organa facit: Si quidem sensatio, quæ brutis etiam competit, actio est organica. Intellectio verò & volitio, quæ ab animâ rationali proveniunt, organica & materiales actiones non sunt, sed spirituales. Quando corpus equi corrumpitur, etiam anima perit. Et sanè frustra essent istæ animæ brutorum superstites. (Quia frustra est, non est.) Indè enim superstites forent, ut cum corpore vicissim conjungerentur; (quemadmodû nostra anima.) Sed quia cû corpore compositum nunquam constituent, etiã non sunt: siquidem Ens incompletum, quale forma est, semper ordinatur ad aliud, & ad constituendum totum aliquod. Interpretes quidem statuunt, in privationem eas redire; verum si abirent in privationem, esse vicissim inciperent. Privatio n. habet in se potentiam proximam ad formam, inter quam autem proximam potentiam & ipsum actû, per Naturam nil intercedit. E. datâ potentiâ proximâ, datur actus & nova anima. De corpore quidem brutorum aliquid manet, quia materia illud est, quæ annihilari nequit; de formâ verò non item: hæc enim, quia non est de materiâ, annihilari omninò potest.

## VII. An natura senescat viresque rerum langvescant?

Multorum sunt querelæ, naturam defecisse, & adhuc defice

deficere, ut adeo perpetuo decrescat. Q. E. quid statuendum sit de hoc defectu naturali? Resp. in genere; Si hæc vera; mundi interitus naturalis expectandus, non supernaturalis, (omnes a. statuunt mundi interitum fore supernaturalem; ) sequitur etiam quod sponte natura ad hunc interitum vergat. Sed falsum antecedens. E. & consequens. Quod I. Cœlum attinet, falsissimum sanè, illud posse descendere, quia corpus, cum quantum sit, in corpus abire nequit, imò quantitas una, excludit aliam. Abiisset verò hæc ratione Cœlum forsan in aerem, aer in aquam, & hæc in terram. II. Elementa quod spectat, ea certè easdem adhuc vires obtinent, quas olim. Sicut ignis olim cōbusit Oppida, ligna &c ita & nunc quoq; fieri potest. Easdem humectandi vires aqua adhuc obtinet, quas jam ante habuit. Quæadmodū inūdationes poterant perdere terras; ita & hodiè. III. Neq; plures aut horribiliores Eclipses nunc dantur, atq; olim. Fiunt Eclipses hodiè totales & partiales Lunares & Solares, quæ primis quoque temporibus haud defuerunt. IV. Si Plantæ quædā & herbæ non tantas habent vires, quātas Galenus, aliique iis adscripserunt; non novum id est, quia obstant loca. Pro varietate locorum & ipsæ plantæ speciesq; herbarū variant, quemadmodum & alii fructus, itemque vina. Nihil tamen naturæ hoc modo subtrahitur. Tempora quoque anni sunt observanda. Non enim quolibet tempore st. colligendæ herbæ: Tempore verno herbæ sunt succi plenæ, non autem æstivo. V. De hominibus, quod dicunt, illos non adeo longævos esse, ut Antediluvianos, sanè illud non accidit per naturale decrementum. Ipse Moses, suo jam tempore, de vitæ humanæ brevitate, conquerebatur, ita exclamans: Vita nostra ad summum octoginta durat annos, Ps. 90. v. 10. Si jam factus defectus naturæ esset, homines sanè non existerent amplius. Causa longævitatis Patriarcharum fuit frugalitas, quorum cibi, fuerunt herbæ & fructus, non carniū esus. Quod verò nos ipsorum ætatem non attingamus, hoc fit ex accidente, causa subest varietas ciborum, quæ concoctionem impedit. Jam ubi non datur bonus Chylus, ibi nec dari potest bonus sanguis. Vitium siquidem concoctionis primæ, non potest corrigi in secundâ. Ubi non est bonus sanguis, quomodo speranda ibi erit longævitas?

### VIII, An Natura agat propter finem?

Uti Natura est vetustissima, ita & pervetustæ de eâ lites, & con-

B

tro

proversum inter cætera, an Natura agat propter finem? Ansam dubitandi in primis præbuerunt illi, qui casum aliquem in mundanis dominari & temerè fieri omnia, asseruerunt: Sed cum illa de casu sententia, jam diu sit explosa, cum & natura sæper agat sapiētissimè; constātissimè; nō licet ulterius dubitare, quin natura agat propter finē sibi nempè relicta & non impedita: & licet homo naturæ finē, non semper cognoscat, quod imbecillitatis nostræ argumentum est, non tamen exinde rei ipsius veritas, damnari patitur. Si verò propter finem agit natura, etiam eundem cognoscit, cum ignoti nullasit cupido. Cognoscit autem pro modulo suo, à Creatore sibi concessio. Ita formicas videmus, instante hyeme, de frumento sibi prospicere & grana colligere, ut habeant, undè viētitent, præviâ cognitione finis naturali: Asinum, stramentum præ auro eligere, ex cognitione finis, novimus: Hominem etiam intellectus ope, finem suum præcognoscere, & media ad eum consequendum habilia ponderare, certum est: Tota itaque Natura propter finem agit & finem suum præcognoscit, licet non statim agendo deliberet.

### IX. Quænam in causis socijs similitudo requiratur?

Non tam ad essentiam, quàm causalitatem respiciendum hîc est; essentia enim, præsupponitur; (quanquam etiam fieri possit, ut essentiæ diversæ sint.) Requiritur verò ad causalitatem vel causam 1. Essentia, 2. influxus, seu, ipsa causalitas, & sequitur 3. Relatio. Habetur in Historicis, ex congressu hominis & asinæ, capræ item, ac equæ, hominem generatum esse. Sic Plutarchus refert, ex homine & asinâ, puellam natam esse honestissimam. Verum nos non concedimus, perfectum hominem ex homine & asinâ &c. nasci posse: Siquidem, si altera causa brutum est, effectus omninò ei respondet, quia, qualis causa, talis & effectus. Nec obstat, quod facies homini respondeat, quia ista non constituit essentiam hominis; pari ratione: quemadmodum, qui ex homine & homine, vulpino vultu vel leporino generatur, non statim essentiam vulpis habet. Disting. enim est, inter totum integrale; & essentielle. Partes integrales non constituunt essentiam.

Et

Et si vel maximè in unâ parte datur & habetur similitudo, in aliis tamen est dissimilitudo, quemadmodum in honestissimâ illâ, quoad faciem, puellâ, ex asinâ & homine, teste Plutarcho, crura seu pedes, asinini fuerunt, ut idem recenset. Ita in omnibus monstris, ex commistione diversarum specierum, hominis puta & bruti, natis, semper aliquid brutale invenitur, licet ex externis signis id statim non appareat. Ad sunt mores feri, ingenium ferum, & his similia. Plura Exempla videsis in Institut. Physicis, magni nostri Sperlingii, p. m. 201. 202. seqq.

### X. An & ubi detur Fortuna?

Si dantur fortuiti eventus, datur etiam Fortuna. Sed dantur, (quia homines illud tritum ingeminât sæpius: Non putaram;) E. Dist. vero est, inter actiones liberas, volūtarias, & ex προαιρέσει susceptas: & inter necessarias ac naturales. In illis, non his, Fortuna datur: Nō habetur in inanimatis, neq; in animatis etiam sensilibus & vegetativis, quia in illis non datur electio, libertas aut voluntas, sive consilium. Neque in hominem rationis usu destitutum, fortuna cadit, cum nec in illo detur electio aut προαιρέσις. Non enim sequitur: Ubi est ratio, ibi quoque ejus est usus. In infante est ratio. E. Neque hoc: Ubi sunt Principia, ibi quoque est eorum usus. Aut: Ubi scientia est, ibi etiam ejus est applicatio. Ipse Aristoteles dicit: Etiam in dormiente scientia est, non tamen ejus applicatio. Distingv. itaque est inter actum primum & secundum. Est quidem Electio actus voluntatis; at præsupponit intellectus etiam actum, quem demùm approbatio voluntatis sequitur.

### XI. Quomodo casus à Fortuna differat?

Differunt materialiter, non formaliter, i. e. ratione subjecti, non Naturæ. Eadem enim utriusque est Natura, siquidem & quod casu, & quod fortunâ fit, per accidens fit. Parè ratione: quemadmodum etiam Privatio & Negatio, formaliter conveniunt, quatenus absentiam rei notant: materialiter verò & ratione subjecti, differunt; siquidem Privatio certum connotat subjectum, Negatio non item. Sic perperam dico: Lapis est cæcus, surdus, mutus, mortuus &c: quia, in quod subjectum non cadit Habitus, in illud nec

nec Privatio, benè tamen dico: Lapis non videt, non audit, non loquitur, non vivit, &c.

## XII. An Esavus fuerit monstrum?

Resp. Quod sic, quia cutis ejus fuit villosa, cum tamen in conformatione partium, & superficies observanda sit, quæ in homine est cutis polita. Objiciunt: Esavus tamen prudens fuit & fortis. Resp. Utut fuerit, ratione tamen corporis omnino fuit Monstrum. Pili suo in loco ornamant hominè; si verò per totum corpus cutis erit hirsuta, deformitas nascitur.

## XIII. An Nymphæ, seu, mulieres aquaticæ, sint Monstra?

Multi ex Scriptoribus statuunt, etiam in aquis, homines dari masculos & fœminas; has Nymphas, s. Mulieres aquaticas, vocant, & quidem in mari, aliisque fluminibus majoribus. Sed Resp. Hominem esse animal terrestre, non aquaticum, aut ἀμφίβιον. Simpliciter Terra homini data est, non aqua, in eâ siquidem suffocatur. Sunt igitur Spectra, estque cum illis, in illis & ipsorum causa Damon. Hinc plerumque eventus apparitionis ipsorum, solet esse tragicus, dum homines decipiunt atque suffocant.

## XIV. An Cobaldi sint monstra?

Neg. siquidem non sunt opera Naturæ, sed Satanæ. Neque enim benè, nec malè Natura agit, quando Cobaldi apparent. Neque tantum de viso aliquo spectrum dicitur, sed etiam de audito; interdum autem videntur Cobaldi, interdum verò non. Sive jam videantur, sive audiantur, semper referendi sunt ad Spectra, quippe Damon in illis est, qui se cum naturali aliquo corpore conjungit, & beneficio aëris, sonum excitat. Dicunt nonnulli, esse animas hominum. Verum Resp. Animas hominum non posse in has terras redire, quippe, si benè in hac vitâ egerunt, in manu Dei sunt; si malè, in loco tormentorum. Est igitur Satanas. Nondum quiescunt, sed quaritant insuper, ad quamnam spectent Disciplinam. Kobaldi? Resp. Propriè ad nullam, nedum ad scientiam, quia non sunt Objectum scientificum. Cum verò hîc concurrat, partim Spiritus malus, s. Damon; referri & ex parte jã possunt ad Pnevmatiam: partim etiam opus Naturæ, etiam in Physica tractari possunt, licet indirectè & per accidens.

Quæ-

## XV. Quænam Monstrorum causæ sint?

Est quidem Monstrorum causa per accidens Casus; sed hæc est nimis generalis, in quâ acquiescendum non est. Casus enim nõ habet scientiam. Jam autem debet dari horum etiam effectuum cognitio, & causa particularis investigari, cur sc: hoc, & non aliud monstrum, natum sit. Est verò illa, tum ex vitio materiæ, tum efficientis. Materia est 1. *Semen*, quando sc: (a) variarum specierum semen miscetur. Hæc jam causa non est per accidens, sed necessaria, quippe inde semper & necessariò Monstrũ oritur. (b) vitium etiam seminis consistit in magnâ & abundantî copiâ, seu quantitate, quæ causa est, quod homines quatuor brachiis, duobus capitibus, &c. nascantur. Non enim Natura, superfluum quod est, relinquit, quippe aliàs semen in utero putresceret, aliasque sinceras partes traheret, inficeretque. (c) Etiam in defectu. Quando enim defectus est seminis, cogitur Natura in opere formationis quiescere, hominemque producit nonnunquam sine brachiis, pedibus &c. 2. In vitio etiam est *sanguis Menstruus*, à quo partes sanguineæ formantur. Datur hic enim non tantum in homine, sed etiam in brutis, quamvis adeò non appareat, cum rarissimè eijciatur, quippe bruta plerumque gravida sunt.

## XVI. An Magi seipfos & alios convertere possint in feles aut lupos?

Producuntur tantum animalia per semen, & quidem à simili. Simile enim fit à simili, nec unquam Naturæ expectanda everfio. Quando contrarium cõtingere videtur, videtur saltem. Apparens est lupo, apparens felis. Lupi enim & felis speciẽ Satan habet, quã assumpfit. Et licet quandoque, cum feles istæ & lupi verberantur, eadem in sagis vulnera deprehendantur, tamen mera etiam hæc sunt *quæra* *quæra*, suisque hæc Satan ipse Ministris vulnera infligit, vel potius, oculos hominum præstringit. Consulatur Præceptor noster fidelissimus in Instit. p. m. 380. ad 384.

## XVII. An dentur Aquæ supracælestes?

Dari hæc non negavit, sed ignoravit Philosophorum Coryphæus, destitutus radiis, quibus nos illuminamur, verbo divino, extra quod, nostros illæ ludunt & sensus, & mentes. Apertè verò i-

stud aliquoties testatur, dari eas, & positas esse supra firmamentum. Quis verbo huic, quod testimonium summi artificis, de opere suo præbet certissimum, non crederet? Finem earum specialem noverit ille, qui eas condidit. Sunt illæ veræ aquæ, ejusdem cum aquis, quæ sub firmamento, naturæ, sunt corpus extimum & cælum undique circumcingunt, sunt & in loco verè naturali. Hallucinati itaque sunt, & præter causam à literâ Sacrosanctæ Scripturæ discesserunt, qui vel opinati, aquas supracœlestes esse bonos, & inferiores aquas, esse malos Angelos; vel pluvias, nubes, atq; meteora. vocarunt, & partē Throni Divini, Domicilii Sanctorū & veri Paradisi, esse censuerunt. Textui Scripturæ nos inhæremus, qui talia commenta non proponit.

### XVIII. An sol tripudiet festo Paschatos?

Vulgus in hâc opinione est, die Resurrectionis Christi, solem saltare, & in festo Johannis, itidem hoc fieri: Num possibile, quæritur? Nos distinguimus inter Solis naturam consuetam, & quæ est subjecta Divinæ potentia. Hanc si respiciamus, nullum dubium est, quin Deus hoc efficere poterit, cum non evertat naturam Solis, nec ullam contradictionem implicet; Deo etiam sunt possible, qui Solem, ut contra Naturam consistat, movere potest. Num autem hoc aliquando sit factum, nullibi extat, nos igitur & tacemus. Quoad Naturam, experientia illa, & rustica & fallax est. Sæpius enim evenit contrarium, ut Paschatos festo, tale tripudium non habeatur; sæpè etiam aliis, & vernalibus, & autumnalibus diebus, Sol subsilire videtur. Ratio ergo non in Sole, sed in Aere quærenda. Vapores tempore verno & autumnali liberius in aere grassantes, hominum oculos sic ludunt falluntque, idque potissimum circa ortum, quia tunc aer vaporibus scatet.

### XIX. An Stella, quæ Magis præluxit, fuerit Naturalis?

Negamus, ob sequentes rationes: 1. Quia in aere fuit conspecta; nulla autem ibi conspicitur stella Naturalis. 2. Quia non fuit perpetua. 3. Quia jam latuit, jam apparuit. 4. Nullum certum obtinuit locum. 5. Neque fuit erratica, neque fixa; æquabilem enim cursū retinuit, nec properavit celerius Magis, non tardius subsilire.



sequuta ipsos, nec à certâ viâ declinavit. 6. Finis ipsius erat, ut Magos ad Salvatorem deduceret, quem toto pectore videre exoptabant. Num autem fuerit Angelus, vel aliud quippiam, nostrum non est exponere. Eleganter de hâc scribit S. Augustinus: Quid erat illa stella, quæ nec unquâ antea inter sidera apparuit, nec postea demonstranda permansit? Quid erat, nisi magna Lingua cœli, quæ gloriam Dei narraret, quæ inusitatum virginis partum, inusitato fulgore clamaret, cû non postea apparenti, Evangelium toto orbe succederet. Hæc ille. Fuit ergo planè peculiaris & singularis. Vide nostri Sperlingii instit. Phys. p. 551, 552, 553. & Meteorologiam Johannis Garcæi, p. m. 73. ad 75.

### XXI. An Elementa corrumpantur?

Corruptionem quidem hominum, brutorum & cæterorum mistorum videmus; Sed Elementorum nunquam deprehendimus. Videmus quidem Aquam interdum putrefieri; sed aliud est continens, aliud verò contentum. Non ipsum continens, aqua putrescit, sed contenta sunt putrida, v.g. herbæ, vermes. Contingit ergo putredo illa, ratione misti. Dicunt: tempore pestis, aerem nostrum esse putridum, & eo sanguinem hominum infici. Resp. Falsum hoc est, venenum hæret in aere, quod ratione aeris, contentum est, & non mutat aeris substantiam vel qualitatem. Hoc corpus veneni à nobis attrahitur, cumque naturalis ipsi inimicitia intercedat cû calido innato, illud verò in corde locum suum habeat, statim cor petit venenum, hominesque repente interficit. Porro etiam ex *ἀνομαλία* & in dispositione corporum, quæ in nobis inveniuntur, sequitur corruptio 1. Sanguinis. 2. Carnis. 3. Totius. Id autem non metuumendum est in Elementis, quippe quæ non sunt composita ex talibus Corporibus. At forsân datur *ἀνομαλία* in Elementis, ratione qualitatum? Resp. Qualitates istæ sunt propria, quæ semper manent.

### XXII. Unde maris falsedo?

Respondet Aristoteles: ex adustione Solis; Solem enim dicit Mare adurere, & ita etiam urinam nostram, sudorem, itemque lacrymas, atque exindè falsedinem oriri. Verùm falsa ista omnia sunt, quippe mare jam salsum factum est, ubi sol nondum fuit in  
rerum.

rerum naturâ. Sol enim quarto die: Mare verò tertio creatum est. Efficiens causa Deus, autor omnium, est. Fit autem aqua propter sal, crassior & gravior, ut eò magis possit navibus resistere. Quod attinet falsedinem urinæ, sudoris, lacrymarum & sanguinis; oritur illa ex ipsâ salis substantiâ, quam nimirum cum cibo & potu assumpsimus, quæ deindè ipsi sanguini, urinæ &c. communicata est. Uberiora lege in Instit. Phys. celeberrimi nostri Sperlingii, p. 662. & 663.

## XX. An ex astris aliquid prænunciari possit?

Resp. 1. Ex Astrorum positu, ejusque diversitate, operationes aliquas observatas esse, ac proindè produci posse: ita ut decrescente Luna ligna sint cædenda, aut eâ crescente, vena sit secanda; quod circa Orionis & Pleiadum ortum, pluvix sint expectandæ: Sic, futuram esse ἐκλειψιν, morbos, frigora, tempestates, sterilitatem, siccitatem, terræ motus, aliaque hujusmodi effecta naturalia, quorum prædictio nihil habet superstitionis, certum est; modò hoc addatur: ejusmodi effecta quædam necessaria, quædam contingentia esse. 2. Ex astris velle unius cujusque consilia, actiones, vitæ cursum, conjugia, liberos, exitum vitæ denique prævidere, vanissima vanitas est. Nam (α) graviter minatur Deus, Esaiæ XLVII, 13. Stent nunc & salvent te, speculantes Cælum, qui contemplantur Cælum, quique cognoscere faciunt menses, ab iis, quæ ventura sunt supra te; ecce erunt quasi stipula. (ε) Si hoc verum esset, nulla amplius foret volûtatis libertas, nullus locus daretur legibus, præmiis & pœnis. Introduceretur verum illud fatuum fatum Stoicum: Deus ipse argueretur injustitiæ, qui astra, quorû impulsu homo peccaret, & quorum influentiâ quidam bonis cumularentur, quidam cruce affligerentur, ita condidit. Quæ omnia falsa, impia, blasphema.

## XXIII. An anima actu sit in femine?

Resp. Omnino. Q. enim agit, sive in Naturâ, sive in arte, teste ipso Aristotele, est actu, non potentiâ. Eruditio, quæ est potentiâ, non agit. Sic Aristoteles dicit: Non minus femina vivunt, quam stirpes. Jam verò Vita est ab animâ. Idem etiam fatetur Galenus. Nos argumentamur: Q. vivificat, actu datur. Anima vivificat

ficat semina. E. Tría enim sunt genera viventium: Plantæ, Bruta & Homines, & præter hæc etiam, dicit Galenus, semina. Deindè, anima etiam efformat partes. Hodiè dicunt, id fieri à calido innato. Resp. Ita, sed Instrumètaliter tantum quemadmodum & nutritio etc: Calidum porrò innatum, dicunt esse Aerem calidum. At, quis existimaret, ab aere calido, membra hominis formari, ve', formari saltem posse. Unde enim hanc scientiam habet aer calidus? Sicut aqua, in opere missionis, est materia, non verò forma; ita quoq; aer. Materia autem debet disponi & dirigi, hinc ad causam principalem recurrendum certè est.

#### XIV. An plantis insit Sexus?

Resp. Negando, quia non datur diversitas partium integrantium. Loquuntur interdum quidem ita Botanici, sed hoc fit tantùm ratione virium, dùm, quæ vires habent præstantiores, mares; quæ debiliores, foeminas vocant. Verùm non spectatur sexus in viribus, sed partibus genitalibus: Aliàs enim inter foeminas, fortes & viribus iam præditæ dantur, quæ hâc ratione masculis annumerandæ essent. Cardanus autem putat, Plantis sexum negari non posse, exinde, quia multæ sint steriles, nisi cum aliis individuis conjungantur. Resp. Hanc naturalem esse *συμπάθειαν*, quod latius, quando conjunguntur, crescant. Jam Sympathia habetur in rebus etiam inanimatis.

#### XXV. Quid Herbarum calor potentialis, seu, virtualis sit?

Sic Calorem Herbarum distinguunt; in Urticâ, v.g. esse calorem actu: in pipere verò potentiâ. Sed Resp. Falsum hoc esse, quod in pipere calor sit potentialis, & quando Linguae admovetur, tunc actualis fiat. Nã & antea actualis in pipere calor fuit, licet ligatus. Non igitur generatur tunc demùm, quando linguae admovetur, sed sentitur tantùm quia solutio fit igniculorũ antè ligatorum, qui liberius indè in nostram linguam agunt. Idem de vino statuunt, esse illud calidum saltem potentiâ, in ventriculo autem actu. Falsum autem & hoc est, quippe ligatus antea ignis erat, ob aquam. In ventriculo verò solvitur aqua ab igne, & proindè igniculi superiores petunt partes, easque calefaciunt. Dicunt, esse Spiritus. Resp. ita, sed cum igniculis conjunctos. Hinc ubi venter est

C

debilis

ut non possit ignem ab aquâ separare, non incalescit ille, sed frige,  
fit potius, propter aquam nimiam.

## XXVI. An pili sint partes Corporis propriè dictæ?

Dicunt communiter, esse pilos Excrementa; sed falsum. Excrementa enim, ab ipsa Naturâ rejiciuntur, & excernuntur, non ab ipsa formantur, & corpori arctius junguntur. Vitiû Naturæ est, si excernantur, ut calvities oriatur; Habent enim radices, tum ut arctè cum corpore cohæreant, tum propter nutritionem etiam, ut sanguinem & nutrimentum attrahant, quæ materia seu, nutrimentum, in radicibus sæpius deprehenditur, sicut in pennarum radicibus, ubi jam candida, (transmutata) jam rubra adhuc & sanguinea apparet. Hinc argumentamur: Q. nutritur, augetur, est pars vivens, Pili. E. Licet autem magis secundum longitudinem quam latitudinem, crescant, verè tamen augentur, uti herbae & arbores. Imò etiâ quoad latitudinem vel profunditatem crescunt. Crassiores enim sunt pili Virorum, ipsis infantum capillis.

## XXVII. An Caro suilla sit optima?

Præfertur sc: à multis caro suilla, propter convenientiam, cum carne humanâ, cum sæpius sit apposita caro humana, loco suillæ, nec discerni, quoad saporem, potuerit. Sed non ex sapore de bonitate carnis judicandû, quin potius ex bonitate succi, qui hac in carne vitiosissimus, Movet præterea bilem, propter majorem caliditatem: nauseam quoque ciet, propter nimiam pinguedinem. Hinc neque concoctio, neque nutritio, peragi rectè potest. A vulneratis etiam, scabie laborantibus, aliaque ulcera habentibus, non absque noxâ comeditur.

## XXVIII. An tres sint hominis partes, quarum prima corpus, secunda anima, tertia Spiritus sit?

Paracelsistæ, itemque Enthusiastæ, tres partes substantiales producunt. Sed duarum tantum partium fit mentio, Gen. 2. Præterea, Homo est corpus N. C. a. N. est Substantia, Materiâ & Formâ, duabus tantum partibus) constans. Interdû quidem in Scripturâ  
S. Spi-

S. Spiritus contradistinguitur Animæ, ut Luc. 1. 46. Magnificat anima mea & Spiritus meus &c. Sed Resp. ipse *Lutherus*, Animã vocari, quando naturales exercet operationes; Spiritum verò, quando spirituales, esse tamen unam eandemque rem. Excipiunt: in Phys. dari Spiritus vitales, animales, naturales, itemque innatum. Sed hi non sunt contradistinguedi corpori, verùm conjungendi. Hippocrates rectè dixit, dari in corpore nostro, 1. partes continentas. 2. contentas 3. Impetum facientes. Sicut igitur sanguis, licet etiam in corpore humano detur, non constituit partem peculiarem; ita nec Spiritus. Evolve aureas, Excellentissimi Dn. Præsidis, Instit. Phys. qui Quæstionem hanc, doctè & nervosè satis, (p. m. 1298, & 299.) pertractat.

Atque hæc sunt, quæ rudi Minervâ congerere, & sub publicæ Disputationis incudem revocare volui. Animus quidem erat, plura & accuratiora, ex Libro Naturæ nobilissimo, in medium proferre; verùm obstitit, materiæ sublimitas, & miseranda humanæ mentis nostræ caligo. Lubens igitur hîc subsisto, exclamando:

Laus honor, atque decus Tibi sit, Rex Christe,  
Redemptor!

---

*Ad Humaniss. Dn. Respondentem, Optimi Parentis  
Filiam.*

**S**ic vice nunc quintâ cathedras conscendis, *Amice,*

Atque moves fociis optima bella tuis.

Hæc placuere pio certamina docta Parenti;

Crinibus atque tuis ferta decora ferent.

*Michael Wendelerus, D. PP. & p. t. Decanus.*

---

Ad PRÆSTANTISSIMUM

Dn. Respondentem.

**S**ic PROBE, sic sequeris vestigia pulchra Parentis.

Quàm pulchrum in natis cernere posse Patres!

Macte animo tanto, pontem conscende cathedra,

Et benè collectas divide mentis opes.

Do-

*Doctior ordo probet ceptum, probat incluta mentis*

*Dona precans ausis optima quæq; bonis.*

*Johannes Sperling / P.P.*

---

**C**lli Sophie cordi est, rapit hunc pius ardor, amorque

Discendi semper maxima quæq; petit,

Id perdocte tua hæc monstrant meletemata FROMMI,

Publicitûs quæ cùm laude tuere tuâ.

Gratulor, ac opto surgat mens inclyta ad alta

Doctrinæ & Sophies culmina, culta probè.

Animitûs applaudo

*M. Martinus Lipenius.*

---

**F**lius est prudens, docti vestigia Patris

Qui sequitur, suavis sicut Amice facis.

En iterum cathedram, tua quo Problemata fendas,

Scandis, ut eternâ laude Patrem cumules.

Pergito sic Sophie stadium decurrere. Magnis

Reddet sic studijs premia magna Deus.

Quod fiat, summus vires concedat JOVA,

Ipsius in laudes vergat & omne precor!

*Ita Amico ac Commensali suo intimo,*

*gratulatur*

*Martinus Alemann, Magdeburg. LL. Stud.*

---

**S**it quanta mentis vis, juvenis docet

Ardor, cupis quo ductus in artibus,

Aurum solent quæ vincere omne,

Instruier benè: quo Parentis

Magni legis vestigia sedulus,

Certasq; Doctis annumerarier,

Mundus colit quos omnis. Undè

Laude capis denuò cathedram.


*Hæc in amorem Dn. Conterranei, raptim*

*apposuit*

*M. Christianus Budeus, Brandenburg.*

*Marhc.*

---



05 A 1936

ULB Halle 3  
003 785 181




Wort

001









36

Q. S. N. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA;  
*exhibens*  
QVÆSTIONUM PHYSICARUM  
**Fasciculum.**

*Quam*  
DUCE & DIRECTORE DEO,  
*In*  
celeberrimâ Academiâ Wittebergenſi;  
SUB PATROCINIO  
*Praclarisſimi, Ampliſſimi atq; Excellentisſimi*  
**DN. JOHANNIS Sperlings /**  
Nat. Scientiæ Prof. P. fidelisſimi, famigeratis-  
ſimi &c. Præceptoris, Fautoris ac Promo-  
toris ſui, perpetuâ animi obser-  
vantiâ colendi.

*Publicæ Philoſophantium διασυνέψεως ſubjicit*  
**JOHANNES Fromme /**  
Brandenburgenſis Marchicus.  
*Ad diem 31. Decembr. Anni c1s 1sc LVII.*  
in Ανεγαληρία Majori,  
Horis Matutinis.

---

WITTEBERGÆ,  
Ex Officinâ Typog. JOHANNIS HAKE N.

38